Universitätsbibliothek Paderborn

Vsvardi Martyrologivm

Usuardus <Sangermanensis>

Lovanii, 1573

Capvt XX. Cur Vsuardo adiectum sit quìnam Sanctorum historias & gesta conscripserint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42790

Visual Library

deſunctorum in anniuerſarijs recitandis, cum Mi-
ſerere mei Deus, & collectis. *Porro non eſſe no-
uitios huiuſmodi anniuerſariorum libros, teſtis eſt Beda
lib. 4. hiſtoriæ Anglorum cap. 14. vbi refert Oſualdi
regis depoſitionis diem annotatam fuiſſe in codice de-
functorum. quem etiam annalem vocat. Ab eo tamen
tempore, occaſione apparitionis, quam Beda ibidem
refert, plæriſque locis annuatim cœpit eiuſdem regis, ac
militis Chriſti, natalitius dies, Miſſarum celebra-
tione venerari. Vnde tunc eum transferre oportuit
ex libro defunctorum, in librum Sanctorum. prid.
Nonis Auguſti in Martyrologijs tranſlatus cernitur.*

CAPVT XX.

Cur Vſuardo adiectum ſit quinam Sanctorum hiſtorias & geſta conſcripſerint.

D*Iligenter autem in paſtorum aliorumque vti-
tatem, annotare ſtudui, quidnam apud proba-
tos auctores de Sanctorum vita & certamine ſcriptum
habeatur. Ad quod faciendũ non tãtum conſului excu-
ſas Sanctorum vitas & paßiones, ſed etiam manuſcripta
aliquot Bibliothecarum & refectoriorum volumina,
In quibus multas deprehendi Sanctorum vitas, grauiter
conſcriptas, quæ nuſquam excuſæ habebantur, ne in
octo quidem hiſtoriarum tomis R. Aloyſij Lipomani:
plæræque verò nũc imprimuntur magna Eccleſiæ vti-
litate in hiſtoriarum tomis eruditißimi & pientißimi
patris D. Laurentij Surij. Nec tantum bibliothe-
cas conſului. ſed ex Gregorio Turonenſi, ex ſancti Iſi-
dori, & Sigeberti beatæ memoriæ ſacriſtæ Gembla-
cenſis,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tenſis, catalogis de viris illuſtribus, nondum tamen excuſis †. ex Tritthemio, & catalogo teſtium veritatis, quem Guilh. Eiſengrein Spirenſis caſtigauit & auxit, ac aliunde, notaui etiam hiſtorias Sanctorum, quas nuſquam inuene, vt alijs occaſionem darem eas quærendi & communicandi.

Ms. Iouānij apud vtroſque Regulares, Gemblaci, & alibi.

Imo diſpenſatione petita, legi quoque Gaſparem Bruſſchium de monaſterijs Germaniæ, Geſneri Pandectas, bibliothecam à Lycoſthene auctam, Centurias Magdeburgenſes, catalogum ſcriptorum Brytanniæ, auctore Ioanne Balæo,

Anglia quem genuit, ſed genuiſſe pudet.

In his annotationibus libenter ea tantum citaſſem quæ probatæ & irrefragabilis ſunt auctoritatis, ſed deterruerunt me varia, vt in alijs ita, hac quoque in re, hominum iudicia. quæ alij probant alij improbant: & fere tot ſunt ſententiæ, quot capita. Alij omnia volunt habere exactiſſima: alijs placent omnia, modo ſint pia. Sic quomodocunque agatur, non deſunt in quorum reprehenſiones incurratur. Et, vt demus hominibus diſplicuiſſe, non magnopere curandum eſſe, potiſſimum me deterruit iudicij mei infirmitas, quodque ſæpius tantæ moli impar ſuccumberem. Quare, etſi rariùs, aliquando tamen egi paulo licentiùs, ea etiam citando, de quibus aliorum malim audire, quam mea ſcribere, iudicia.

Neque, volui, aut potui, omnes Sanctorum hiſtorias authenticas annotare: ſed tãtùm conatus ſum aliquouſque aliquid de Sãctorũ hiſtorijs, quæ probatæ, aut ſaltẽ, quod ſciã nondũ reiectæ fidei ſunt, indicare & annotare, vt alijs ad id aptioribus occaſionẽ darẽ idẽ perficiendi: atq; hoc noſtro labore ijdem inſtigarentur ad euulgandas

Sanctorum vitas, eorumq́ue præclariſsima geſta, quæ adhuc in Ms. bibliothecis latent, & varijs iniurijs obnoxia ſunt. Quod vt meliùs fiat, duo mihi adhuc dicenda reſtant.

CAPVT XXI.

Quòd magna vtilitate excudantur geſta Martyrum olim per Romanæ Eccleſiæ notarios fideliſsimè collecta.

S*Cribit Damaſus Pontifex in pontificali, capite ſiue Pontifice quarto, de Clemente.* Hic fecit ſeptem regiones diuidi Notarijs fidelibus Eccleſiæ, qui geſta martyrum ſolicitè & curioſe vnuſquiſque per regionem ſuam perquirerent: *& rurſus cap. 20.* Hic (*Antherus*) geſta martyrum diligenter à notarijs exquiſiuit, & in Eccleſia recondidit: propter quod à quodam Maximo præfecto martyr effectus eſt: *& iterum ſequenti capite.* Hic (*Fabianus*) regiones diuiſit diaconis, & fecit ſeptem ſubdiacones, qui ſeptem notarijs imminerent vt geſta martyrum in integrum colligerent.
Epiſt. 1 *Quod ipſum clariùs conſtat ex Fabiani decretali epiſtola ad dilectiſsimos vbique catholicæ eccleſiæ comminiſtros, in qua ait:* Septem ſimiliter ſubdiacones ordinauimus, qui ſeptem notarijs imminerent, & geſta martyrum veraciter in integro colligerent, nobisque rimanda manifeſtarent. Quod etiam vos omnes agere monemus, ne in poſterum aliqua ex his dubitatio fiat, quæſtioq; oriatur, quo-
Rom. 15 niam omnia quæ ſcripta ſunt ad noſtram doctri-